

NUMMUS VOTIVUS

CUSUS IN HONOREM CAROLI

V. IMP. PACEM CUM PONTIFICE, GALLO,
Anglo condentis Cameraci. Anno
Christi 1530.



GALLIÆ Rex bello infelicitè in Italia gesto: amisso exercitu: mortuo Lautrecho: Andreâ Auriâ Genuate, rei navalis scientiâ clarissimo desertore ac transfugâ, ad pacem animum adjecit: non ab eâdem abhorret Imper. imprimis quod Turcâ, expeditionem Panonicam moliente, Austriæ suæ subtimeret. Eam ob rem Cameracum, liberam adhuc, & neutrius partis urbem in medio ferè Belgio sitam (uti fatalem ad gravissimas Reipublicæ constituendas consultationes, & induciarum, fœderum, ac pacis solenni promulgatione, jam olim celebratam) delegerunt. Interea igitur temporis quo in Hispania inter Clementem VII. Pont. Max. & Imper. convenit: hinc à Cæsarianis, Margaritâ Austriâ, Maximiliani Aug. Filia (ea Carolo V. erat amita, proque nepote ex fratre tunc Belgium obtinebat) inde vero à Gallis Aloysia Allobrox Regia mater; (quæ eadem Franciæ rebus præerat) cum splendidâ pompâ delecti comitatus, quo conditū erat, venerunt. Has enim vero deducebat, qui ambabus erant, aut à consilijs, aut ab actis, aut à secretis: & alij proceres, quorum intercessione utrinque optata pax facilior, æquabiliorque esset. Quo, postquam convenissent ex præcipuis Italiæ civitatibus legati, puta à Venetis, ab Insubribus, à Florentinis: & si qui essent Italicorum reliquorum Gallicarum partium studiosi Romanus Pont. præter Salernitanam (qui res Pontificias antea illic procurabat) Capuanum item Antistitem eodem misit. Britannicam vero legationem simul obibant Londinensis Episcopus & Suffolchius Ducis titulo honoratus. Itaque per accensos Heroidum reconciliatricum coacto semel, atque iterum senatu, postquam de alernis controversijs, ac consultationibus diu multumque iuris periti disputassent: Galli postremo præ nimio quodam suarum rerum studio, relictis Italis Non: Sextil: pacem cum Cæsareanis certis quibusdam conditionibus, deliberatò fecerunt.

re. Ludovi. Quicciard. Sleidanus.